



00 2



| Nr. | Praefides  |  |
|-----|------------|--|
| 1   | Braun      | De usufructibus parentum in bonis liberorum fundamento.                          |
| 2   | Carrach    | - juris f. & l. differentis in peculio filiorum-familiae.                        |
| 3   | Gräfe      | - pecunia lustrica.  |
| 4   | Joachim    | - donis baptismalibus.   |
| 5   | Thomasius  | - hypotheca facta propter pecuniam lustricam.                                    |
| 6   | Tenzel     | - restricta liberorum dispositione in pecunia lustrica.                          |
| 7   | Simon      | - jure patronorum.   |
| 8   | Schewig    | - patronis matrimonii.   |
| 9   | Wittenberg | - patronorum erga filios acceptos munere.  |
| 10  | Strecher   | - pecunia lustrica.  |
| 11  | Radovius   | - pecunia lustrica.  |
| 12  | Rhode      | - tutoris datione.   |
| 13  | Beyer      | - tutorum & curatorum differentia.   |
| 14  | Henne      | - tutela legitima irregulari matri & aviae comp.                                 |
| 15  | Weitz      | - cura et tutela.  |
| 16  | Kowalewsky | - tutelae naturalibus.   |
| 17  | Hohesfel   | - tutore in locum testamentarii a <sup>magi Prate</sup> <del>tutore</del> dando. |
| 18  | Kegler     | - tutela incalpabili.  |
| 19  | Romanus    | - tutelae personarum illustrium.   |
| 20  | Ergau      | - poenit in tutore petendo negligentium.   |
| 21  | Knorr      | - tutela pactitia Romanis incognita.   |
| 22  | Reinkardt  | - tutela pact. q. non incognita.   |
| 23  | Benckrich  | - tutela pact. tum jure R. quam I. fundata.                                      |
| 24  | Antropius  | - fictitio usu tutelae pactit. jure R.   |
| 25  | Gräfe      | - pecunia a pupillo sine tutoris auctoritate soluta anno credit. perente.        |



- | Nr. | Lorefidet  |  |
|-----|------------|--|
| 26. | Thomafius  | De culpa ab heredibus tutorum prestanda.             |
| 27  | Imlin      | - Salario tutorum.                                   |
| 28  | Thomesius  | - Singulani aequitate leg. in. C. quando Imp. ut. p. |
| 29  | Otto       | - perpetua feminarum tutela.                         |
| 30. | Heinricus  | - marito tutore & curatore uxoris legitimo.          |
| 31  | Kästner    | - marito administratore bonorum uxoris<br>minoris    |
| 32  | Boehmer    | - de usque prescriptione contra minores<br>suspenso. |
| 33  | Wittenberg | - Jure ultimi gentis sue.                            |



28  
VIRO  
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
ATQVE CONSULTISSIMO  
D. IOANNI GODOFREDO  
BAVERO

IN  
ORDINEM PROFESSORVM  
IVRIS ORDINARIORVM

ET  
ADSESSORVM FACVLT. IVRID. LIPS.  
CLEMENTIA REGIA ADSCITO  
QVO PAR EST, PIETATIS CVLTV  
GRATVLATVR

---

SIMVLQVE  
DE TVTELA PACTITIA ROMANIS  
NON INCOGNITA

DISSERIT  
CHRISTIANVS GOTTLOB REINHARDTVS

---

LIPSIÆ A. O. R. MDCCCXXXVIII.

---

EX OFFICINA LANGENHEMIANA



ORDINEM PROFESSORVM  
BAVARIAE

ORDINEM PROFESSORVM

ABESSORVM FACULTATIS IURIS


DE IURIS FACULTATIS IURIS  
NON COGNITA

CHIRURGIAE GOTTFRIDUS

DE IURIS FACULTATIS IURIS

DE IURIS FACULTATIS IURIS





CHRISTIANVS GOTTLOB REINHARDTVS

S. P. D.

IOANNI GODOFREDO  
BAVERO  
IVRISCONSVLTO.

**S**alue itaque, VIR CONSVLTISSIME,  
maeste uirtutis et eruditionis gloria splendi-  
dissima. Salue inquam, et feliciter frueri,  
quae TIBI a potentissimo Sarmatarum Saxo-  
numue AVGVSTO concessa clementissime fuit,  
dignitatis officique praestantia. Tanta ni-  
mirum Tuorum in Academiam Lipsiensem euagata fuerat me-  
ritorum fama, ut dignissimum illis a principe nostro statuere-  
tur praemium. Idque sic euenisse omnes boni et aequi aesti-  
matores uel propter ea mecum gaudebunt, ac uehementer sunt  
laetaturi, quod quum praecipiente celeberrimo Maiansio Ante-  
cessore Valentino \* iurium doctor duabus praesertim rebus, mo-  
rum honestate et scientiarum cognitione minime uulgari esse con-  
spicius debeat, utrumque in tanta amplitudine TE admiremur  
consequutum, ut neutri incrementum aliquod nouaque laudum  
materia accedere posse uideatur. Noli putare, VIR AM-  
PLISSIME, me hoc auribus Tuis dare. Quum enim, ut  
Tullius noster scribit, ea demum iucunda sit laus, quae ab iis  
proficiscitur, qui ipsi in laude uixerunt, parum profecto ex  
meis Tuarum uirtutum celebrationibus deliciarum TIBI, me  
lauda-

A 2

\* lib. I. epist. II.





III

laudatore non egenti prouenturum opinari poteram. Neque laudis iusta maioris TIBI dictae et adulationis quispiam me suspectum ducat, quod ea tribuerim Praeceptoris dulcissimo, quae tota, quam Lipsia tenet, togatae militiae manus, et si qui TE alibi norunt, fatentur uiri docti, inter probatissimos doctores TE referentes, hincque Tui in numerum ius profitentium et iudicando adplicantium adlectione maximo opere delectati. Quae quum ita sint, pietatis in TE meae atque officiorum postulare omnino rationem existimaui, communi isti Academiae gaudio meam etiam qualemcunque addere TIBI que impertire adclamationem uotiuam, nec non leuem hanc de tutela pacititia addicere commentationem. Praeterquam enim quod cognationis et sanguinis iura Tuam inter meamque domum constituta tale quid a me exigant, ea quoque, qua ad hancce publicam mei TIBI deditissimi testificationem animi impulsus fui, accedit ratio, quod quum per biennium fere solidissima Tua imbutus doctrina fuerim, tot inde tantosque perceperim fructus et emolumenta uberrima, ut gratias referre ipsa rei natura impeditus, agere, TIBI que obstrictissimum ea propter me profiteri recusans, ingratus terrarum homo merito esse censendus. Quod reliquum est, Numen ut immortale ad seram usque senectutem, cum grauissima CONIVGE liberisue ornatisissimis sartum et tectum conseruare TE uelit, et plurimos TIBI largiri uirium animi corporisque cumulos, quo egregiis inra docendi et secundum illa iudicandi muneribus cum insigni Academiae ac totius orbis litterarii commodo saluus atque incolumis praesse quam diutissime queas, etiam atque etiam exopto. Illud extremum, quod in primis abs TE oro, ne in patrocini Tui praestantia plurimum spei reponentem ullo umquam tempore indignum illo iudices. Salue iterum ab eo, qui Te eruditionis Tuae merito ueneratur, Reinbardto Tuo, et uale. Dabam Lipsiae XVIII Kalend. Sextil. A. O. R. v. Id. Ioc. XXXVIII.





§. I.



em in arte boni et aequi non minus ac ceteris eruditionis partibus pernecessariam esse et vtilissimam, eorum, quae tractanda suscipimus, naturam absoluta uerborum compage perspicue indicare, tumque per partes eundo, rei sic satis demonstratae quoniam diuersae dentur inspectiones, diuisionis et distinctionis exponere auxilio, a nemine facile in dubium uocabitur, easque inter doctrinas debet referri, quae ex primis, ceu aiunt, philosophiae patescunt principiis, ut, qui probationem istius adfert proferret, uel philosophorum testimoniis id corroboraret, ad plausum, hocce praesertim aureo scientiarum seculo, non mereretur.

§. II.

Certe quod ad Iurisprudentiam attinet, in definiendi remque definitam rite dispescendi arte quantum



## VI

fit positum, uel inde satis intelligitur, quod Rerumpublicarum pariter, ac eorum, ad quos summum illarum administrandarum causa delatum fuit imperium, non parum sit periclitatura salus atque maiestas, si uerborum, quibus leges conceptae sunt, uis ac potestas minus recte inspiciatur. Sanctissimas principum constitutiones interpretari, praecipuis Iurisconsulti partibus adcenfer ciuilibus sapientia. Quem uero quis rei ager interpretem, quam nondam cognouit? Quomodo autem cognouisse dicendus est, essentia illius atque complexu ignoratis? Ut paucis complectar plurima, Iureconsultus definire ac distinguere nescius turpiter neglecto officio suo principis induit personam, dumque legem interpretari se putat, nouae legislationis auctor existit, sublato hac ratione pessime ciuilibus ordinis nexu. Egregie in rem nostram Pomponius, narratis legum Romanarum satis ad magistratum iurisque auctorum historiam sese accingens, rationem instituti sui his uerbis exponit: „quod constare non potest ius, nisi sit aliquis iuris peritus, per quem possit quotidie in melius produci. a) *In melius* autem *ius producere* hic nihil aliud significare potest, quam legum aduersus cauillatores uerum sensum interpretando eruere. Sin aliam, ut multi perperam fecerunt, admittamus explicationem, hoc ipso duriolem lege uel mitiolem se exhibendi largiemur Iureconsulto facultatem, contra regulam iuris ciuilibus, quod utrumque uetat, infamiae poena in secus facientem statuta. b) Id certum, non in melius sed in deterius ius produci, quin eueri plane, a Iureconsulto definitionum ac diuisionum

a) L. II. §. XIII. de O. I.

b) L. XII. §. I. qui et a quib, manum. Nou. LXXXII. cap. X. et alibi.



fionum imperito. Quid si tam rudi homini casus obueniat, expressis legum uerbis non definitus? nullas enim leges ita scribi posse, quae omnes casus comprehendant, res ipsa loquitur, ipsique fatentur Iureconsulti sapientissimi Romani. c) Profecto his armis destitutus rationem legis inuestigare ac explorare non poterit, omnique frustra adhibita opera, quidquid obclamauerit, eorum ex classe erit, quae in iure nostro pessimo cauillationis uocabulo indigitantur. d)

## §. III.

Poteram hac occasione peridonea in amplissimae disquisitionis campum excurrere, quousque limites interpretationis legum Iureconsulto pateant, inquirendo: Poteram quoque non nihil monere circa regulam iuris ciuilibis, quae omnem definitionem in iure periculosam esse ait: e) Verum enim uero longioris hanc paginae rem esse perspicuus, uerensque, ne sic, quae praefaminis loco dicenda erant, rem in rubrica notatam charta multum superarent, tam nobile argumentorum par sicco nunc pede transiens, in aliud tempus tractandum referuo, ad id potius, quod est caput causae, breuibus exponendum statim me conuersurus.

## §. IIIL.

Praeter tres in libris et commentationibus Iurisconsultorum ad ius Romanum tradi uulgo solitas, tutelae species, testamentariam, legitimam, atque datiuam, quartam etiam, quae ex pacto uim suam roburque

c) l. X. XI. XIII. de leg.

d) l. CLXXVII. de V. S. l. LXV. de diuers. R. I.

e) l. CCII. de diuers. R. I.



### VIII

que accipit perfectissimum, et hinc pactitiae tutelae designatione a Doctoribus exprimi hucusque consuevit, Quiritibus non fuisse incognitam, quin potius ab illis probatam, hac scriptione aduersus Carolum Gottlieb Knorrium Iureconsultum Hallensem, nouissimum, qui publice quidem, quantum scio, prodiit, f) huius sententiae hostem, ex ipsis Romanorum legibus demonstrare constitui, ita, vt iisdem ferme iuris ciuilis sanctionibus, quibus causam suam non uulnerari putat, eandem destrui plane deüicique ostendam.

### §. V.

Quum a Spho I<sup>ma</sup> ad V<sup>ram</sup> usque circa definitionem tutelae, et facultatem a Decemuiris patri-familias super re sua tutelaue rei suae legandi concessam occupetur Vir amplissimus, duce illustri Heineccio egregie explicita ac uindicata lege decemuirali, idemque postea, ex quo codicillis uti Romani in ultima mentis testatione coeperint, ad eos quoque extensum fuisse ostendat, in §. VI. ita ratiocinari sibi uidetur: exinde, quod iure ciuili permissum sit patri legare de tutela, et in testamento tutorem dare, tutores uero scriptos codicillis testamento confirmatis testamento datos accipere debeamus, hoc non confirmati a iudice sint confirmandi, sequi, leges praeter testamentariam tutelam aliam patri non permississe, illique propter ea pacto constituere tutorem non licuisse. At uero sunt forte haec sibi inuicem contraria, libertas legandi de re itemque paciscendi? Prono scilicet fuit alueo: leges testamento nominare

f) A. O. R. MDCCCXXXVI. III. Kalend. Nouembr. quum recitationes publicas per menses istius anni hibernos habendas indiceret.



nare tutorem permittunt patrifamilias, ergo pacto de eo prospicere prohibent. Nimirum quae ultima expediri queunt uoluntate, illa inter uiuos in alterum transferri non possunt. Manumittere seruum in testamento licet: inter uiuos data libertas non ualet.

## §. VI.

Itaque quasi egregie instructa acie sua Iuriconsultus noster, recensitis in §pho VII. dissentientibus eorumque armis, contra celeberrimum Leyserum, Samuelis Stykii, quem nouam tutelae speciem excogitasse hallucinatur, imitatore, praesertim copias educit, eiusque ut argumentis faciat satis, operam se daturum pollicetur. Ante omnia in §phis VIII. et VIII. ad dogma istud Romanorum confugit, qua pactis nudis ad producendam actionem efficacia denegatur, idemque frustra repugnante Leysero constans ac perpetuum mansisse nec ab Leone et Iustiniano deminutionem passum contendit, indeque ciues inter Romanos pacto tutorem dari non potuisse colligit. Quum autem ipse in eadem §pho VIII. fateatur, nec stipulationi uim adstringendi tutorem uerbis obligatum ad tuendum pupillum iure Romano inesse, quod ex hypothese sua nullibi probata testamento tantum patri tutorem designare permissum sit, ius uero publicum priuatorum conventionibus mutari nequeat, hac tractatione aequo animo superfedere poterat uir clarissimus, quum ex eo non sit, quod pro causa sua timeat, quidquid antiquo isti Quiritum principio ab Imperatoribus derogatum ac detractum fuerit. Si tamen dicendum quod res est, saluum omnino mansit nec ullo modo diremum fuit nudarum pactioinum ac stipulationum discrimen nouioribus Caesarum sanctionibus, quum a sublato uerborum a stipulantibus olim adhibendorum delectu, ad ipsam interrogationis hancue



X  
subsequutae congruae responsionis sublatam necessita-  
tem neutquam ualeat consequutio.

§. VII.

Nunc primarias rei nostrae partes attingit Vir do-  
ctissimus, uim argumentorum fortissimam ex §. VIII. Inst.  
de excusat. tut. et L. XV. §. I. *π.* de excusat. pro uindicanda  
tutelae pactitiae legibus Romanorum notitia, ab illustri  
Leysero merito depromptam profligare in §pho X. incas-  
sum laborans. Quum nempe sacratissimus Imperator in  
cit. § VIII. tutori propter inimicitias a patre testamento  
dato hoc ipsum ei praestare excusationem pronuntiet,  
statim addit: „non excusari, qui se tutelam administra-  
turos *patri pupillorum promiserint*. Itemque in adleg. L.  
„XV. adferit Iurisconsultus Modestinus, qui *patri promi-*  
„*sit*, se fore tutorem liberorum, excusari ab hac tutela  
„non posse. Dic sodes, an magis claris atque perspicuis  
uerbis tutela pacto constituta designari a legibus potue-  
rit. Rene ipsa, an nudo uerborum sono haec duo dif-  
ferunt: ob promissionem patri pupillorum factam gere-  
re tutelam teneri, reiectis excusationibus, et ad tutelam  
suscipiendam pacto obligari. Scilicet adponere Impera-  
tor debuerat: et haec est quarta tutelae species, quae uo-  
catur pactitia. Apage tam indignam cauillationem.  
Adeone prosequi iuris Doctorem oportuit nitium pae-  
dagogicum, rerumque turbare ordinem, ut ad uerba in  
scholis legum explicandarum caussa recepta legislatorem  
adstringere audeat? Certe haut obscure id se uelle offen-  
dit Knorrius noster. En enim ipsa illius uerba: „Prin-  
„cipio non dicit Imperator, pacto dari tutorem, sed eos  
„non excusari, qui se tutelam administraturos patri pu-  
„pillorum promiserant.„ Quasi uero tutelae administra-  
tionem patri pupillorum pollicitus, hincque excusatio-  
nem non habens legitimam, pacto datus uel *constitutus*  
potius



potius g) tutor non esset. Hinc enim est, quod excusationem non admittant leges, quoniam ex pacto impuberibus praeesse tutor obligatur. Seu, quod eodem redit, pactum est causa et ratio, ex qua leges illud probantes reiiciendum effectus instar excusationem deriuant. h) Pergit autem legum interpres: „Loquitur uero Imperator de tutore testamentario, et duos decidit casus, cetera. Imo non tam loquitur de tutela testamentaria, sed quid circa excusationem tutoris tam testamento dati quam pacto constituti obtinere debeat, decidit. Et quod illum quidem attinet, excusationibus in prioribus eiusdem tituli §phis enarratis, nouam §pho VIII. adnectit, ex capite inimicitarum desumptam, hancque ualere pronuntiat. Deinde per contrarium non excusari ait, qui

B 2

tutelam

g) Namque quod ad uerbum *dare* attinet, id non satis congrue de tutore pactio vsurpari moneo, inue eius locum substituendum uerbum *constituere*. cum *ro* dare rem *vnus* uoluntate perficiendam aptius exprimat, *ro* constituere autem actum *duorum plurimum* consensu celebrandum propius innuat. Quem quidem uerborum delectum eo maiore sollicitudine adhibere par est, quo adcuratorem ex diuersis causis atque principiis diuersa rerum oriunda argumenta explanationem requirunt. Sic tutor uel datur uel constituitur. Datur uel a patre in testamento, uel a lege, uel a magistratu. Constituitur pacto inter se et patrem futuri pupilli inito. Non tamen sim morosus, nec multum dissentiam, si quis hac distinctione uti non necesse ubique putauerit. Saltem aduersus inermem aduersarium nostrum id monendum uidebatur, qui certe in hac tractatione cautius uersari debebat, idque uel hac potissimum de causa, quod ipse in §pho I. scriptiois suae summi nominis Iureconsultum Euerardum Ottonem in argumento non absimili notauerat.

h) Caue tamen confundas causas a tutela excusantes cum prohibentibus. De illis non his intelligenda cir. §. VIII. Inst. Has enim etiam non obpositas et adlegatas prodesse tutori ad liberationem et attendi omnino debere, ipsa sanctionis uetantis docet natura.



tutelam olim se suscepturum patri pupillorum promiserat, vbi perperam Knorrius rationem adspersit, „quia hac „ipsa promissione excusationibus renuntiasse creditur. Praeter quam enim quod haec ipsi directe aduersetur, omneque fundamenti sui pondus, quod vellem sentiret, quam sit exiguum, plane deiciat, inaudita quoque haec doctrina iurique ciuili quam maxime contraria uel nouis Iustinianeis adpareat necesse est. Nam si promissio talis hanc ob rationem ualeret, sequeretur, in omnibus pactionibus idem iuris esse, quum quis quoduis promittendo, quod contra bonos mores non sit, exceptionibus suis aequae renuntiasse credendus esset, ac tutor excusationibus, contra regulam constantem iuris Romani, quae nudam pactionem obligationem non parere definit, i) ab ipso Knorrio in §phis VII. VIII. VIII. nulla licet laboris sui exigente necessitate, masculae propugnatae, et a nobis quoque supra in §pho VI. ut par erat, agnitam. Non itaque tutor, tutelae administrationem patri pollicitus, seque postea excusans ideo repellitur, quia paciscendo renuntiasse excusationibus censendus sit, k) sed quod ita placuerit sapientissimo legumlatore Iustiniano. Quumque is tale pactum tutorem inter futurum et patrem in casum, si is liberis impuberibus in sua potestate existentibus relictis decesserit, tutelae gestionis causa initum probauerit, pacta autem constitutione uel Scto adiuta, hincque a Iurisconsultis dicta legitima, lege quippe in ampliori complexu sumpta firmata, actionem producere

i) L. VII. §. IV. ꝛ. de pact.

k) Nec obstat in L. XXVIII. ꝛ. de testam. tutel. rationis instar adduci a Iurisconsulto: *quoniam promississe uidebatur*. Aliud enim est obrenuntiationem subesse creditam repelli, aliud ob factam promissionem. Illud iuris Naturae solum, hoc ciuilis etiam est, quod hoc pactum peculiariter muniendo regulam confirmat. Subtilia uidentur, quae diximus, sed non sunt.



ducere ualeant, l) ad eorum numerum illud esse referendum nemo non uidet. Quae deinde circa L. XV. §. I. π. de excusat. murmurat Vir doctissimus, aut eadem, adeoque non minus uera sunt, ac ea, quae modo prostrauimus, aut nostram potius causam confirmantia. Si enim, quod quidem credi scopus et ratio scribentis postulat, ea mente dixerit: “Modestinum in cit. lege adfirmare, pacto” quidem non constitui tutorem, sed promissionem in causa esse, ut tutor legitime datus se excusare nequeat, “quod pro firmanda sententia sua uerum aliquod discrimen tutorem inter pactione constitutum, et tutorem promissione se excusare impeditum intercedere statuatur, in sole coecutire uideretur. Sin secus senserit, gratulamur Viro clarissimo ad saniores doctrinam reducto, ambabus quippe manibus largientes, huic pacto sua ipsius efficacia uim obligandi non inesse, dum uero Modestinus tutelam patri promittentem non excusari adserit, eoque omnino illud ualere, ut tutor legitime datus se excusare nequeat. Id enim est, quod paullo ante demonstratum dedi, talem nimirum conuentionem lege fuisse corroboratam, hincque tutorem ex pacto legitimo tueri pupilum teneri.

## §. VIII.

Finem nunc labori imponere ouantes poteramus, causae, quam egimus, iustitia facile contenti, quum ex legibus modo adlatis de tutela pactionis abundanter constare probatum fuerit, nisi leuis adhuc aduersarii nostri armatura prosternenda superesset. Nempe Triboniano et Modestino relicto Papinianum quoque adgreditur. Ita enim legem XXVIII π. de testament. tut. in §pho XI interpretatur: exinde neuiquam pro tutela pacto constituta argumenti quidquam deduci posse, quum ibi de tutore testa-



XIII

mento dato seque filio impuberi tutorem adscribere iussu sermo sit. m) Equidem in hac lege Iurisconsultus huiusmodi facta a tutore sui in testamento adscriptione, eamue subsequuta patris probatione constitutum tutorem non tutorem sed curatorem dandum respondit, quod non animaduertissem miror virum clarissimum, ex eadem tamen lege omnino patet, rationem, quod iste curator, se excusans repellendam, quoniam promississe uidebatur, adeoque leges huic conuentioni inter patrem exue mente eius constituendum tutorem uim tribuere plenissimam. Quod ad reliquas leges a celeberrimo Leysero pro tutelae pactitiae apud Romanos firmanda auctoritate adlatas attinet, adsentimur omnino doctissimo Knorrio, eas de tali pactione non agere, hincque tuto ab isto omitti potuisse. n) Quod denique

m) Quae occasione huius legis de Scto Liboniano et Claudii edicto praecipere uoluit, longe ampliore et eruditore, ut solet, doctrinarum adparatu collegit Illustr. Jac. Mascouius praeceptor ad cineres pie uenerandus in Diss. de his qui sibi adscribunt in testamento ad explicationem Scti Liboniani et Edicti D. Claudii, habita Lipsiae anno cto MCCXXXI.

n) Mirandum sane, illustr. Leyserum in Meditat. ad  $\pi$ . Sp. CCCXXVIII. Med. VIII. praecipuum adsertionis suae pondus ex L. I. §. I. de confirm. tut. aduersuisse, quum, si aliunde de tutela pacto constituta non constaret, nemo facile illam Romae fuisse probatam contenderet. Primum enim ex ordine ac nexu istius paragraphi statim patet, uerba: *precor te curam habere rerum*, ad casum paulo ante cum reliquis enarratum, si nempe tutor non datur, *quomodo oportet*, esse trahenda, quum in testamento uerbis imperatiuis, minime precibus tutor relinqui debeat. Praeter ea quoque, etiam si concedi quodam modo posset, quod tamen nullo modo largimur, non in ultima uoluntatis testificatione hanc precua formulam a patre fuisse prolatam, quis quaeso pactum inde exculperet? Tutorem enim precibus patris, dum in uiuis adhuc hic esset, consensisse in lege non dicitur, cum mortuo autem pactus dici non potest,



in §pho XV. monet, "uix credendum, Tribonianum cum ceteris iuris architectis tutelae pactitiae speciem omis-  
rum fuisse, si umquam eiusmodi pactum lege aliqua uel SCto confirmatum fuisset, eum pariter ac lectorem beneuolum ad §. VII. remittimus, ubi ex §. VIII. Inst. de excusat. tut. et L. XV. ꝛ. de excusat. contrarium demonstratum.

### §. VIII.

Sed id forte Knorrium, ut secus sentiret, commouerit, quod peculiari titulo separata tutelae pactitiae rubrica de-

signa-

potest, licet postea ueniente tutelae gerendae die ad illam suscipiendam sese obtulerit. Nec in eo satis caute amplissimus Leyferus uersatus uidetur, quod quum in prioribus lineis recte adfirmasset, tutelam pactitiam Romanis fuisse cognitam, uimque obligandi apud eos habuisse, mox addiderit: „Sed quia rarior eius usus fuit, quartam ex illa speciem facere, et peculiari capite de ea agere in iure suo neglexerunt. Imo clarissima tum in Institutionibus quam Digestis extare uestigia, supra a nobis probatum, et eodem fere spiritu et halitu a Leyfero ad leges prouocante adsertum fuerat. Sin secus esset, licerene putas nouam Iureconsulto speciem excogitare, uel non potius illi sine lege sic loquenti erubescendum? His uerbis respondere tanto uero malui, alioquin uix mihi temperaturus ab iis, quae in §pho VIII. aduersus clarissimum Knorrium dixi, iterum adscribendis. Ratio quoque quod peculiare caput illi tutelae Romani in iure suo tribuere noluerint, ex rariore huius usu petita, non satis adridet, nulla quippe genuina suffulta probatione, cumque illa felicius permutari censerem coniecturam in eadem §pho a nobis adpositam. Id etiam silentio praetermittendum non est, ea, quae ab illustri Euerhardo Ottvne in Not. Crit. et Commentar. ad Instit. ibique ad §. VIII. Inst. de excusat. tut. adlata fuerunt, parum uel nihil nostram infirmare sententiam. Primum enim ad cit. §. VIII. nec non L. XV. ꝛ. de excusat. nihil quod ullo nobis modo aduersaretur, monuit Vir celeberrimus. Deinde etiam perperam adferit, etiamsi tale pactum Romae quidquam ualuisse, tutorem tamen magis esse testamentarium, idque auctoritate legis §. I. ꝛ. de confirm. tut. Hanc enim legem huc plane non spectare, modo ostensum fuit.



XVI

signato agere Imperator neglexerit, quod in ceteris tutelae partitionibus factum. Quasi uero ex titulorum discrimine diuersarum iuris tractationum ratio esset metienda ac multitudo. Nonne id est, legem praescribere uelle legislatori, ac methodum quam uocant, systematicam principi obtrudere? Semper displicuit secta semi-Iurisconsultorum, qui ius Romanum omnium certe, quae ex humana promanant auctoritate, perfectissimum et acquissimum, quiddam obloquantur nouitiorum quidam philosophuli, ob turbatum in illius corpore rerum delectum ac ordinem uilipendere et adspernari palam ausi fuerunt. Si tamen coniecturis est locus, puto hanc ob causam tutelae pacto constitutae in titulo de excusationibus tam Institutionum quam Pandectarum Imperatorem meminisse, quod ibi commodissime talis tractatio subnecti uideretur, quum haec tutelae species id a ueteris separatam sibi que proprium habeat, quod tutores pacto ad gerendam tutelam obligati se excusantes non audiantur, quod in reliquis aliter se habet.

§. X.

Id adhuc in sine opellae nostrae adicere liceat, quod, quum ex diuisionis natura ac indole sequatur, membra diuisionis totum diuisum exhaurire et complecti debere, inue tot membra dirimendam esse ideam, quot ipsa natura suppeditat, fortissimum inde omniumque inuictissimum causae quam defendimus, muniendae petatur argumentum. In eo enim omnes opinor, conuenient, longe diuersissimam et a ceteris tutelarum constitutionibus quam maxime distantem esse, quae ex pacto ualorem suum trahit, tutelam. Hinc ergo est, quod ex his quantiuis pretii paginis luculenter constare putem, tutelae pactitiae speciem iuri Romano incognitam, quin potius a Quiritibus reprobata fuisse existimantes, ideoque reliquis tribus ab illius Doctoribus falso adnumerari iactantes, uel insignes legum agere cauillatores, uel ipsa Logices praecepta notissima ignorare cum ignarissimis.













15943


00 A 6340

ULB Halle 3  
002 925 400  


1791











VIRO  
EXCELLENTISSIMO AMPLISSIMO  
ATQVE CONSULTISSIMO  
D. IOANNI GODOFREDO  
BAVERO

IN  
ORDINEM PROFESSORVM  
IVRIS ORDINARIORVM

ET  
ADSESSORVM FACVLT. IVRID. LIPS.  
CLEMENTIA REGIA ADSCITO  
QVO PAR EST, PIETATIS CVLTV  
GRATVLATVR

---

SIMVLQVE  
DE TVTELA PACTITIA ROMANIS  
NON INCOGNITA

DISSERIT  
CHRISTIANVS GOTTLOB REINHARDTVS

---

LIPSIAE A. O. R. CIOIDCCCXXXVIII.

---

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

